

ob circumvagationem continuam vergens agnita, postea mutata fuit in perpetuam destructionem acti Monasterii, poena depositionis manente c. omnis Utriusque 12. §. caveat. h. t.

4. Vtrum quia hodie detrusio in monasterium abiit in defectudinem, & loco illius suffecta est detrusio in perpetuos carceres juxta dicta supra Tit. XXXVII. n. 111. Ideo ordinaria poena violantis sigillum sacramentale præter depositionem hodie est carcer perpetuus ita tamen, ut requiratur ad eam condemnatoria sententia. Lugo de Pœnit. Disp. 23. n. 147. Fagundes de Præcept. Ecclesie 2. lib. 6. cap. 7. n. 2. per Jura citata.

5. Resp. II. Ut propter violationem sigilli quis præfata Pœnam, Depositionem videlicet, & perpetuos Carceres incurrat, sequentia requiruntur, videlicet I. ut violans sigillum sit sacerdos: quia citat c. sacerdos, & c. omnis utriusque 12. h. t. solis sacerdotibus poena memorata imponi jubetur, consequenter tanquam odiosa depositio ad alios extendi non debet. Hinc poenæ præfate non subiacent adstantes, qui audita peccata confidentis aliis revelant, vel qui eorum notitiam ex schedula confessionis scripta habent, & produunt, vel qui ea à confessorio iniquè revelante audire &c.

6. II. Requiritur, ut sacerdos revelet verum aliquod mortale vel veniale peccatum in specie v. g. homicidii, iactantia, vel in genere dicat, talem confessum fuisse peccatum mortale; Diana Tract. 11. p. 5. resolut. 51. Suarez de Pœnit. disp. 33. sect. 8. arg. cit. cap. sacerdos, & c. omnis &c. ubi de solis peccatis fit mentio, consequenter de solis illis intelligenda venit Juris dispositio; hinc licet illi, qui alia etiã aliàs sub sigillum cadentia, veluti defectus natalium, vel aliud quidpiam probrorum, aut præjudicium poenitentis revelant, gravissimè peccent, gravique arbitraria Judicis & quidem graviore poena plectendi sint, quam violantes secretum naturale, ordinariæ tamen poenæ violantis sigillum non subiacent: prout cum aliis bene observant DD. cit.

7. III. Requiritur, ut peccatum reveletur præsumptuosè, id est graviter malitiosè arg. c. omnis utriusque 12. §. caveat. h. t. ibi: præsumpsit revelare. Hinc licet ille, qui ex ignorantia, inadvertentiã, vel in ebrietate, consequenter non præsumptuosè, nec graviter peccaminosè contra sigillum revelat aliquid peccatum, aliquò extraordinariã poenã puniri valeat, tamen ordinariæ non subiacet; nisi forsitan in foro externo contra ipsum præsumeretur, eum cum sufficiente advertentiã, consequenter præsumptuosè, ac graviter peccaminosè egisse; quæ præsumptio in foro externo utique fit, nisi sigillum violans aliud ex circumstantiis probet: cum aliàs poena ordinaria à quovis facillè eluderetur dicendo, se ex inadvertentiã fuisse locutum.

8. IV. Requiritur, ut quis peccatum non ipsi poenitentis peracti confessione, extra illam sine ipsius licentiã obijciat, sed alicui alteri revelet; quia revelare propriè non dicitur nisi is qui secretum sibi commissum alteri prodit; quare extra confessionem obijci, as peccatum ipsi poenitenti, ordinariæ poenæ non subacet, sed extraordinariæ duntaxat. Ganad. de Sacram. controvers. & tr. 11. Disp. 8. n. 3.

9. Queritur II. quis sit Judex in causã violati sigilli? quomodo procedere debeat? quales probationes in ea requirantur, admittantur, & sufficiant? Resp. I. solus Ecclesiasticus & quidem Episcopus ordinarius Rei est Judex in causã violati sigilli sacramentalis, quòd solus Ecclesiasticus, minime verò laicus hu jus causæ sit Judex, tenet eum communi aliorum Lugo, ubi supra n. 43. Gobath. quinar. Tract. 5. n. 200. Et ratio est; quia cum causã violati sigilli ex annexo Sacramento, sicque ex natura sua spiritualis, &

Ecclesiastica sit, soli Ecclesiastico, non laico Judici competit. c. Decernimus 2. c. quando 3. de Judiciis. c. ut inquisitioni. §. Prohibentus. de Hæreticis.

Nec obstant exempla in contrarium Jacobi Regis Aragoniæ, qui Episcopo Gerundensi sigillum sacramentale violanti linguam à tergo extrahi jussit, teste Alurete lib. 2. Eccles. discipl. c. 19. n. 2. Et tenatus Tholosani, qui sacerdotem sigilli violatorem in furcam agi, & cadaver ipsum igne cremari fecit, ut refert Raynaud. Praxi Spirit. histor. 13. Resp. enim præfatos vel ex delegatione Apostolica, vel in sacerdotibus prius degradatos processisse, aliàs contra immunitatem Ecclesiarum egisse; cum nulla etiam Imperiali vel Regali auctoritas habeat potestatem judicandi, & condemnandi personas Ecclesiasticas, nisi ad hoc auctoritate Ecclesiasticã delegentur, vel persona Ecclesiasticã degradata potestati Laicæ tradatur. can. nullus 2. can. clericum. 3. & c. cau. 11. q. 1. c. At si clericus 4. cum non ab homine 10. de Judiciis cum concord.

Resp. II. Ad hoc, ut Judex Ecclesiasticus contra sigilli violatorem processum instituire valeat, non requiritur licentia poenitentis, cujus peccata fuerunt sacrilegè revelata. Ita cum aliis docet, & satis efficaciter probat Stoz Tribunal. Panit. lib. 2. q. 4. d. n. 288. contra Gobath. arg. cit. can. sacerdos 2. dist. 6. de Pœnit. &c. Omnis utriusque h. t. ubi prorsus nulla facta mentione de habenda licentia poenitentis præcipitur, ut poenæ ibidem præscriptæ inferantur violantibus sigillum. Ratio est, tum quia ex isto processu nullum emergit præjudicium poenitentis, nec irreverentia Sacramento; cum ex una parte notitia peccati ex violato sigillo habita, nullo modo noceat poenitenti, utpote qui propterea nec inquiri, nec puniri potest, ad eò, ut notitia illa perinde se habeat, ac si non adesset, uti fatentur omnes: Tum, quia per istum processum potius evitatur, quam causatur irreverentia Sacramento, fidelisque potius animantur, quam absterrentur à confessione sacramentali, videntes, in sigilli violatores tam severè procedi. Tum quia obligatio sigilli introducta, & poenæ violatoribus statuta sunt non tantum in bonum privatum alicujus poenitentis, sed in favorem ipsius Sacramenti, & totius Ecclesie, qui favor à privato consensu unius privati poenitentis non dependet. Tum etiam quia violatio sigilli est crimen publicum arg. c. si quis suadente, caus. 17. q. 4. utpote sacrilegium, quod criminibus publicis annumeratur l. si quis 10. c. de Episcopo & Cleric. consequenter non attento privatorum assensu, vel dissensu puniendum venit.

Resp. III. Si quis viã inquisitionis, aut denuntiacionis vel accusationis de violatione sigilli judicialiter interrogatus se reum fateatur, alia probatione opus non est, arg. l. generaliter 13. c. de numer. pecun. c. fin. de cohabit. cleric. & mulier. cum propria confessio sit optima probatio, per vulgaria.

Si verò dicat, se peccatum non ex aliqua confessione, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare, quã viã, & modò illius notitiam acquisivit: in qua probatione si deficit, & tamen in negatione violati sigilli perseverat, ex præsumptione violati sigilli poenã extraordinariã. Sylvestr. v. Confessio. 3. n. 5. Abbas in c. omnis h. t. n. 26. Lugo loc. cit. n. 151. nisi aliunde plenè convincatur; tunc enim ut convictus utique sentire debet poenam ordinariam.

Si utique fatetur, se quidem peccatum ex confessione, sed cum licentia poenitentis revelasse, onus probandi hanc licentiam incumbit revelanti, saltem in casu, quo poenitentem ipsum accusat, aut aliàs negat, se licentiam dedisse; prout cum aliis bene advertit Lugo loc. cit. eò quòd licentia hujus-

hujusmodi sit quòd facti, quod non præsumitur, sed probari debet ab allegante. c. Cum in Jure 31. de off. deleg. & l. In bello 12. ff. de capi. & possim.

15. Dicitur autem notanter, si poenitens est accusator; quia si tertius aliquis accusat, vel desert, et incubit, alias probationes afferre ob præsumptionem stantem pro confessorio; qui bonus, & sigillum servans præsumitur, donec probeur contrarium c. unic. de servitu. cap. final. de Præsumpt. & l. Merid 51. ff. pro socio.

16. Inò etiam si poenitens sit accusator, vel neget, se dedisse licentiam manifestandi peccatum, creditur confessorio, licentiam sibi datam asserenti, casu, quo revelatio peccati parum vel nil præjudicat poenitenti, simulque confessorius sit vir prudens, nec non integre famæ ac vite. Secus foret, si revelatio facta esset multum damnosa poenitenti, vel tertio, præsertim si poenitens existeret probate vite & conversationis; tunc enim poenitenti contra confessorium credere, & hunc tanquam sigilli violatorem extraordinariã saltem poenã castigandum esse, bene cum aliis observat Diana p. 1. tr. 11. resolut. 52.

17. Porro si cæteris paribus dubium existat, confessorio potius asserenti, quam poenitenti neganti licentiam datam, credendum esse, bene cum aliis docet Mascardus de probat. conclus. 951. n. 30. ex illa ratione, quòd in factis, quæ ad officium Judicis spectant, & aliter fieri non possunt, pro Judice præsumatur. arg. can. Hoc etiam 37. cau. 2. q. 6. & can. Absit. 14. cau. 11. q. 3.

18. Cæterum ad probationem violati sigilli sufficere etiam testes singulares cum aliis rectè docet Tanner. Tom. 4. disp. 6. q. 9. n. 122. & Stoz Tribunal. Pœnitent. lib. 2. q. 4. d. n. 281. Tum ob enormitatem delicti summè præjudiciosi; tum quia ordinariè difficilis est probatio; dum sacrilegi Violatores sigilli, pluribus final. præsentibus non facillè sigillum violant.

19. Ad hanc Rubricam pertinet quidem etiam tractare de potestate absolvendi tam à communibus, quam reservatis peccatis; qui tamen de hac materia tractabimus infra Tit. seq. 9. fin. ubi de potestate absolvendi à censuris agemus, lectorem illuc remittimus.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

1. Ratio Ordinis.

POST poenas vindicativas sequuntur poenæ Ecclesiasticæ spirituales, scilicet Excommunicatio, & Interdictum: De quibus singillatim per plures agemus Paragraphos, prius tamen sit

§. I.

De Natura & Divisione Censuræ.

SUMMARIUM.

- 2. Censura unde derivetur?
  - 3. Quid sit?
  - 4. Ist poena spiritualis.
  - 5. Medicinalis.
- Recessituel Jus Can. Tom. V.

6. Non nisi à potestate Ecclesiastica imponi potest.

7. In specie quomodo inferre possint Censuram?

8. Et ob quam causam.

9. Excommunicatio major, vel alia Censura gravis non infligitur, nisi propter peccatum mortale.

10. Externum.

11. Contra præceptum Ecclesiasticum.

12. Contumacia, seu cum aliqua contumacia commissum. Et num. seq.

14. In quo consistat hec contumacia?

15. Censura solis Christianis, non verò Infidelibus.

16. Bene autem Hæreticis infligi potest.

17. Censurandus debet esse rationis eopax.

18. Et jurisdictioni Censurantis subiectus.

19. Episcopi in generali sententia Suspensionis, aut Interdicti non comprehenduntur.

20. Reges, & Imperatores ab Episcopis Censurâ legi non valent.

21. Ad incurrendum Censuram à Jure, aut Decreto generaliter latam, non prærequiritur aliqua monitio. Et num. seq.

22. Bene tamen citatio ad hoc, ut se defendere possit.

24. Ad infligendam Excommunicationem ab homine prærequiritur monitio trina.

25. In scriptis facta, & Excommunicato intimata, vel publicè affixa.

26. Eadem monitio requiritur ad infligendam Excommunicationem à Jure latam severè sententia.

27. Nisi delictum, & contumacia essent notoria.

28. Suspensio & Interdictum aliquando sine monitione imponuntur.

29. A Censura excusat probabilis ignorantia Falli.

30. Et Joris; ac num. seq.

32. Doctrina præctica ad propositum.

33. A Censura etiam excusat gravis metus.

34. Nisi violatio Legis cederet in damnum boni publici, aut cederet in contemptum Legis, aut potestatis, vel auctoritatis Ecclesiasticæ.

35. Censura jam lata invalida est, si Censurans caret Jurisdictione.

36. Vel eam impediam habet per propriam Censuram, vel Appellationem.

37. Insuper invalida est Censura ex defectu Ordinis, vel citationis.

38. Vel iusta causa, qua deficere potest; quia vobis adest, non tamen probata habetur: Et num. seq.

40. Vel desit, & tamen probatur in Foro externo.

41. Innocens Censuratus, v. g. excommunicatus secundum allegata, & probata, in Foro externo pro tali habere se debet: Et num. seq.

43. Quamvis coram Deo ab ea immunis sit, & in secreto contra eam agere possit.

44. Censura est triplex, videlicet Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum.

45. Quævis harum alia est à Jure, alia ab homine, alia lata, alia ferenda sententia. Et num. seq.

Notandum prius, nomen Censura à censendo derivatum, olim apud Romanos denotasse tum officium, tum sententiam Censuris mores corrigentis, & poenam decernentis. Quare occasione posterioris acceptionis factum est, quòd censura hodie adhuc significet correctionem quandam & punitionem, juxta illud Juvenalis Satyrâ 1. Dat veniam corvis, vexat censura columbas H. N.

Queritur I. quid sit censura ut sit? Respond. 3. I. Censura ut sit est poena Ecclesiastica spiritualis, medicinalis, per potestatem Ecclesiasticam contumaciter delinquenti christiano inflicta, privans usu quorundam bonorum spiritualium ad hoc, ut corrigatur, & à contumacia desistat.

Kk Ita



Ita inre communis. Et patebit ex declaratione singulorum verborum.

4 Dicitur inprimis, *Pœna spiritualis*, tum ob differentiam pœnarum corporalium vel temporalium, v. g. pœna pecuniaria, exilii, carceris, &c. Cujusmodi pœna non est *Censura*, utpote que neque corporis afflictionem, nec privationem bonorum temporalium principaliter intendit; etsi per accidens & secundario has etiam secum trahat, ut dum v. g. Excommunicatio privat communione politica & civili, privatione fructuum Beneficii &c. ut cum aliis bene advertit Avila de *Censur.* p. 1. dub. 4. n. 2.

5 Dicitur *Medicinalis*, quia *Censura* non est pœna vindictiva sceleris jam patrati, sed potius est pœna medicinalis intendens futuram correctionem Delinquentis, id est, inobedientis potestati Ecclesiasticæ sub *Censura* aliquid præcipientis, vel prohibentis, arg. c. 1. de *Sentent. excommunicat. in 6. ibi: Cùm medicinalis sit excommunicatio, non mortalis disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem facta fuerit, non contemnat.*

6 Dicitur, *per potestatem Ecclesiasticam imposita*, quia, cùm potestas metè secularis spiritualia tractare nequeat, *can. Judicatum. 5. dist. 89. c. Decernimus. 2. de Judic. cum Concordantiis*, potestas ferendi *Censuram* soli potestati Ecclesiasticæ, & quidem Jure Divino competit, juxta illud *Math. 16. Quæcumque alligaveritis super terram &c. & 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, hoc est, à fidelium communione segregatus. Hinc jam à tempore Apostolorum hæc potestate constantè usà est Ecclesia, ut fideles à contumaci & rebelli inobedientia reducens & avertens, ad obediendum salutaribus suis præceptis & sanctis legibus magis promptos efficeret.

7 Queritur II. A quibus in specie infligi possit *Censura*? Resp. in specie potestas ferendi *Censuram* inprimis præcipue incumbit Summo Pontifici, & Episcopis, c. 1. & c. *Conquerente. 16. de Offic. Ordin. juncto Concilio Trident. Sess. 6. cap. 3. & Sess. 24. c. 4. de Reformat. Cardinalibus in Ecclesiis sui Tituli, c. His, qua de Majorit. Legatis Sedis Apostolicæ in territorio suæ Legationis, c. Novit. 7. de Officio Legati, & c. Legatos. 2. eod. in 6. Capitulis Cathedralibus Sede vacante, arg. c. *Unicum de Majoritat. in 6. Vicario generali non tantum Episcopi, sed etiam Capituli Sede vacante, c. Venerabilibus. 7. h. t. in 6. Prælati, & Præpositi Ecclesiarum Collegatarum, & aliis habentibus jurisdictionem in Foro Ecclesie externo, arg. c. *Quarenti 20. de V. S. & c. 1. h. t. in 6. Item Abbatibus, & reliquis Superioribus Regularibus non solum Generalibus, & Provincialibus, sed etiam per se loquendo localibus, ut puta, Prioribus, Rectoribus, Guardianis respectu suorum subditorum, c. Cùm in Ecclesiis. 10. de Majoritat. c. ult. de Statu Monach. c. Sicut tuis. 33. de Simonia. junctâ glossâ v. *Anathematis, de Simonia*. Et tandem Concilii Generalibus, & Provincialibus in sua Provincia aut natione: sicut & Congregationibus & Capitulis omnium & Provincialibus Religionum, *Navar. Man. cap. 27. n. 5. Suarez de censur. disp. 2. sect. 2. Palao Tract. 29. disp. 1. sect. 4. à n. 2.****

8 Queritur III. Ob quam causam ferri possit *Censura*? Resp. I. *Excommunicatio major*. & alia *Censura* gravis non nisi ob culpam mortalem externè contra Ecclesiasticæ potestatis præceptum contumaciter commissam infligi potest. Communis, & certa. Et quidem quòd requiratur culpa gravis, seu peccatum mortale, patet; quia pœna, ut sit justa, debet esse proportionata culpe, consequenter cum *Excommunicatio* sit gravissima pœna, c. *Cùm non ab homine. 10. de Judiciis*, gravem utique requirit culpam; arg.

*can. Nemo Episcopus. 39. can. Nullus 47. cau. 17. q. 3. Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 3.*

Dicitur autem notanter in Conclusionè, *Excommunicatio major, vel alia Censura gravis*, quia *Excommunicatio minor* licet re non adeò gravi, videlicet passivo quorundam Sacramentorum usâ privet, c. *Nobis. 2. de Except. nihilominus quia faciliè à quovis Sacerdote tolli potest, n. Nuper. 29. gravis Censura non reputatur, & ideo ob solam etiam venialiter peccaminosam communicationem cum publicè denunciato *Excommunicato* contrahi potest, prout cum communi aliorum bene observat Palao *Tract. 29. disp. 2. pun. 18. n. 7.* Pariter propter levem culpam quandoque etiam imponi potest levis aliqua *Suspensio* v. g. ab uno actu electionis, à Missa celebranda per unum vel alterum diem, prout notat *Pirh. h. t. n. 27. Layman. lib. 1. tr. 5. p. 3. n. 2. Navarrus, Suarez, & alii.**

Dicitur ulterius, *externum*; quia cùm Ecclesia non possit cognoscere peccata merè interna, ea neque judicare ac punire valet, fed relinquatur soli Deo puniendum; *Navarrus cap. 27. n. 56. Suarez loc. cit. Disp. 4. sect. 1. cum communi, arg. can. Cogitationis. 14. de Penit. dist. 1. c. Sicut tuis 33. in fine c. Tuis nos. de Simonia.*

Nec obstat *Clement. 1. §. Verum. de Hæretic.* ubi excommunicantur Inquisitores aliquid facientes ex amore, vel odio; quia intelligi debet textus non de solo interno odio vel amore, sed deinde in actum externum vitiosum indicem pravi affectûs interni. *Palao Tract. 29. disp. 1. pun. 7. num. 4. Covarruvias in Regul. peccatum, part. 2. num. 7.*

Dicitur ulterius *contra potestatis Ecclesiasticæ præceptum commissam*; quia ob peccatum solo Jure naturali aut divino prohibitum nulla contrahitur *Censura*, cùm hæc sit pœna inobedientiæ, contemptûs, & contumaciæ contra potestatem Ecclesiasticam, ut de *Excommunicatione* patet ex c. 1. h. t. in 6. illis verbis Christi; *si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. De reliquis *Censuris* vero ex c. *Ex parte. 23. de V. S.* Notandum tamen, multa peccata Jure Divino naturali, final etiam Jure Ecclesiastico, & quidem sub *Censura* esse prohibita.

Dicitur insuper in Conclusionè num. 8. posita, *Contumaciter commissam*, quia ad incurrandam *Censuram* omninò requiritur contumacia seu inobedientia contumax, quâ Delinquens momentis seu præcipientis Ecclesiasticæ potestatis auctoritatem spernere censetur, ut cum communi bene observat *Navarrus Manual. cap. 27. n. 9.*

Nec obstat, quòd quis non solum ob contumaciam, sed etiam ob aliam causam excommunicari possit, c. *Qua fronte de Appellat. ibi: Sane, si quis pro contumacia, vel alia qualibet causa Interdicto, & Excommunicatione tenetur adstrictus*. Resp. enim cum Abbatè ad cit. c. num. 10. etiam ad *Excommunicationem* semper requiri contumaciam, quæ sit causa immediata *Excommunicationis*, sive præcesserit aliud delictum, sive non. Et hoc ultimum idcirco additur, quia potest in aliquem *Interdicti, vel Excommunicationis sententia* proferri pro contumacia tantum, quia scilicet citatus stare nolit Juri, cit. c. *Ex parte de V. S.* Quòd si vero aliud delictum præcesserit, ac proin *Excommunicationis* sententia proferatur non tantum propter contumaciam, sed etiam propter illam causam aliam, sive ob delictum aliud, in eo casu tale delictum appellatur causa *Excommunicationis* non immediata, sed mediata duntaxat.

Cæterùm dum dicitur, ad incurrandam *Censuram* requiri

requiri contumaciam, non est intelligendum, quasi requireretur contumacia expressè ac formalis; sufficit enim contumacia virtualis, & contemptus Ecclesiæ interpretativus in hoc consistens, quòd quis sciat, aliquid per Legem, aut legitimum superiorem Ecclesiasticum sub *Censura* esse prohibitum, & tamen illud facere præsumat; talis enim jam censetur contemnere auctoritatem præcipientis.

15 Queritur IV. Quibus possit *Censura* infligi? Resp. *Censura* non nisi in delinquentes Christianos, rationis capaces, & Jurisdictioni ferentis *Censuram* subiectos ferri potest. Communis & certa. Probatur inductione. Dicitur primò non nisi Christianos; quia Judæi, Pagani, Saraceni, & alii infideles, hoc ipso, quòd Ecclesiæ potestati non subint, nulli *Censuræ* subijciuntur, juxta illud *D. Pauli: Quod mihi de us, qui foris sunt, judicare, & ad Corinth. 5.*

16 Aliud est de Hæreticis; hi enim, quia per Baptismum janam Ecclesiæ ingressi, potestati ejusdem subiecti manent, *Censuris* omninò subjacent, si legem vel præceptum Superioris sui Ecclesiastici v. g. Papæ sub *Censura* positum transgrediuntur, arg. *can. de Judæis. 5. dist. 45. c. Majores. 3. de Baptismo. Palao Tract. 29. disp. 1. punct. 6. n. 1. Layman ubi supra cap. 4. n. 2.*

17 Dicitur secundò *ratiōnis capaces*; quia infantes, surdosi, amentes hoc ipso, quòd rationis, verè culpæ & contumaciæ capaces non sint, neque *Censura* capaces existunt juxta omnes.

18 Dicitur tertio *Jurisdictioni saltem delegate ferentis Censuram subiectos*; quia cùm par in parem non habeat imperium, c. *Innotuit. de Elect. nec inferior in Superiorem c. Cùm inferior. 16. de Majorit. palam est, requiri subditum ferentis *Censuram*. Hinc quia Papa nulli subest, omnis *Censuræ* incurrendæ incapax est.*

19 Porrò ex speciali Juris constitutione latâ sententiæ generali *Suspensionis*, aut *Interdicti* non ligantur Episcopi, nisi specialis eorum fiat mentio, c. *Quia periculosa. 4. h. t. in 6.*

20 Imperatorum quoque, & Reges, ob suæ dignitatis Excellentiam *Censurâ* aliquâ ab Episcopis ligari non posse cum Sylvestro v. *Censurâ. num. 10. & aliis docet Palao Tract. 29. Disp. 1. pun. 6. num. 3.*

21 Queritur V. An, & qualis præmitti debeat monitio, & quænam alia requiratur ad *Censuram* legitime ferendam? Resp. I. Ad incurrandam *Censuram* à Jure, vel per generalem sententiam pro avertendis futuris culpis latam, seu quando Jure, vel per sententiam aut Decretum generale seu *Censura* ipso facto incurrenda aliquid prohibetur, nulla ad eam incurrendam prærequiritur monitio. Communis & certa, arg. c. *Reprehensibilis. de Appellat. & ibi Glossa.* Ratio est; quia cùm Jus sit publicum, ipsimet continuo monet, ubi ab illo aliquid sub *Censura* prohibetur; nisi forsitan monitionem præcedere Jus ipsum expressè vellet; prout velle videtur *Clement. 1. de Decim. item Clemens. & §. fin. de Statu Monach.*

22 Porrò etsi ad incurrandam *Censuram* ab ipso Jure latam nulla prærequiritur monitio, sed possit & debeat Juxdè Ecclesiasticus delicto commissio Delinquentem sine alia monitione publicè denunciare, vel declarare *censuratum*, v. g. excommunicatum, arg. c. *Conquesti. 22. v. Nuntius. H. T.* Tum ut publicè contulsi civitatis respiciat: Tum quia vitare debet Fideles (si *Censurâ* *Excommunicationis* ligatus est) quòd congruè fieri requirit, nisi eam *excommunicatum* publicè esse conitet, *Layman. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 2. n. 5.*

Resistentiel Jus Can. Tom. 7.

Nihilominus debet citari, ad hoc, ut defendere se possit, si forsàn causam habeat excusantem à *Censura*, *Engel h. t. n. 9. Navarrus eod. Consi. 9. n. 4.* qui non immeritò voluit, denuntiationem seu declarationem *Excommunicationis* à Jure late esse nullam, nisi talis citatio delinquentis præcedat, per *Textum & Glossam Clement. 3. de Censuris, & Clement. 2. de Paris*, nisi delictum & contumacia Delinquentis non respiciantur notoria esset; cum enim in tali casu non prærequiratur monitio ad ferendam *Censuram* juxta dicenda infra num. 27. multò minus requireretur citatio ad declarandum *excommunicatum*.

Resp. II. Ad incurrandam saltem *Excommunicationis Censuram*, quæ ab homine fertur, omninò necessaria est prævia monitio, seu comminatio illius. Communis & certa, c. *Reprehensibilis. 26. de Appellat. c. Sacro. 24. h. t. c. Romana. c. Statutum. c. Constitutionem. eod. in 6.* Et quidem hæc monitio ordinariè debet esse trina cum competenti intervallo dierum cit. c. *Constitutionem. h. t. in 6. Glossa in c. Sacro. 24. v. Competenti, & c. Reprehensibilis, eod. v. Contumacia*; vel saltem debet esse una tribus æquivalens, id est, complectens tres monitiones cum trino, eoque competenti intervallo, arg. I. *Contumacia 53. §. 1. ff. de Re judicata.* Ratio est, tum ut contumacia Delinquentis magis appareat: tum ut habeat spatium vel ad satisfactionem præstandam, vel suam defensionem proponendam.

Porrò ut monitio hæc legitime fiat, debet fieri in scriptis, ut vult *Palao Tract. 29. Disp. 1. punct. 5. nu. 9.* & coram testibus tradi, vel legi ipsi personæ *excommunicandæ, c. Sacro. 24. h. t. ibi: Personis presentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio*; nisi forsàn talis malitiosè se absconderet, aut declinaret, & fugeret: tunc enim sufficit, si monitio, seu comminatio prævia scripta ad ejus domum, vel valvas Ecclesiæ, vel alio in publico loco affigatur, c. *Quoniam §. Porrò ut lise non contestata, & Clem. Caufam. 3. de Election. Suarez de Censuris. disp. 3. sect. 11. Covarruvias in c. Alma Mater. p. 1. §. 9. n. 4.*

Resp. III. Monitio prævia necessariò requiritur, etiam si *Excommunicatio* à Jure ferendâ tamen sententiæ sit posita, arg. c. *Reprehensibilis. 26. de Appellat.* ubi universaliter & indistinctè præcipitur, ut præmittatur canonica monitio, nisi *Censura* à Jure imposita sit late sententiæ ipso facto incurrenda.

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo Delinquentis crimen, & contumacia est notoria; nam universaliter ubi excessus est notorius, accusatio, examinatio, & probatio opis non est, *can. Manifesta. 25. & §. 99. cau. 2. q. 1. c. Bone. 23. v. Porro. de Election. c. Evidentia 9. de Election. consequenter nec ad ferendam *Excommunicationem* saltem à Jure comminatam in tali notitia contumacia, monitio prævia necessaria est, Abbas. in c. *Ad nostram. 7. de Jurjurand. Suarez. loc. cit. n. 18. Layman. loc. cit. n. 6. in fine.**

Dicitur autem notanter in Conclusionè num. 24. posita, saltem *Excommunicationis*, quia *Censura* *Suspensionis*, & *Interdicti* aliquando non merè *Censuræ*, sed ut pœna vindictivæ imponuntur, & imponi possunt nulla comminatione præmissâ, arg. c. *Cùm in cunctis. 7. §. fin. de Election. c. Sacro. h. t. c. 1. v. Exemplum eod. in 6. Palao loc. cit. pun. 5. num. 5.*

Queritur VI. An, & quando ignorantia, metus, 29 vel alia causa excolet ad incurrendam *Censuram*? Resp. I. Ignorantia facti, quâ quis ignorat id, quod facit, esse talis, quòd sub *Censura* est prohibitum, excusat à *Censura*; v. g. qui ex ignorantia putat Clericum, quem



quem percussit, esse laicum, non incurrit Censuram. Communis, & certa e. Si vero de Sententia Excommunicationis, ibi: Si vero aliquis in Clericum nutriendum commo, manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Excommunicatione notari, dummodo ipsum Clericum esse ignoraverit, adeo ut à Censura innumem reddat etiam probabilis duntaxat ignorantia facti, ut explicat ibidem glossa. Ratio autem Conclusionis est, quia ignorantia, que omnino affectata aut supina non est, excusata contemtu, & contumacia, l. Si ignorans. 50. ff. Locati, consequenter etiam à Censura; cum hæc non nisi in contumaces feratur per dicta supra.

30 Resp. II. Invincibilis quoque, vel saltem probabilis ignorantia Juris Ecclesiastici præcipientis, vel prohibentis qui ipsam sub Censura, ab ea incoherenda excusat. Rursus communis DD. satisque clarè patet ex c. 2. de Constit. in 6. ubi dicitur: Ut animarum periculis obviatur, sententia per statuta quorumque Ordinariarum prolati ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, seu supina. Que decilio, cum favorabilis sit, malumque rationalis, non tantum in statutis Ordinariarum, sed etiam in Constitutionibus Pontificiis locum habet: nam etiam Papa Ordinarius est, & quidem Ordinarius Ordinariarum.

31 Nec obstat, quod Delinquentes contra alias Leges sub certa poena aliquid prohibentes, eadem poena justè plebantur, etiam ignorent poenam, sub qua Lex aliquid prohibet; uti experientia & praxi ubique recepta constat in Latronibus, Adulte- rariis, Incestuosis, prout etiam nos supra Tit. III. de Simonia n. 321. jam probavimus. Nam disparitas est circa Censuras, & poenas vindicandas, quod ad has nulla requiratur contumacia, sed sola sufficiat inobedientia erga Deum, vel Legislatorem humanum, ob quam tam in vindictam sceleris, tam ad terrorem aliorum pro bono & tranquillitate communi insiguntur poenæ scienter agentibus contra Legem divinam, aut humanam, etiam ignorent poenam Legis. Censura vero utpote poena Medicinalis requirit contumaciam in hoc consistentem, quod quis sciat, aliquid sub Censura esse prohibitum, & tamen illud committat, sicque contumaciter agat contra Legem Ecclesiasticam, eamque quasi contemnat, Sylvester v. Ignorantia. n. 14. Navarrus in Manual. c. p. 27. n. 274. atque etiam diximus supra de Simonia. loc. cit.

32 Infertur proin, quod, si aliquis sciat, opus aliquod esse prohibitum vel præceptum, probabiliter tamen ignoret, ei esse annexam Censuram, eam non incurrat; consequenter rusticus, & alii simplices homines ex hac ratione sæpè excusentur à Censura per generalem Legem, Canonem, aut Decretum Ecclesiasticum imposita, eo quod eam hic & nunc latam rarissime sciant; dummodo excipias Excommunicationem in percussores Clericorum latam, utpote ferè omnibus etiam rusticis notam; item alias Excommunicationes communiores, vel publicè denuntiatas.

33 Resp. III. A Censura in super regulariter excusatur, qui ex metu gravi mortis, mutilationis, infamiae, gravis jacturæ bonorum &c. transgreditur Legem Ecclesiasticam sub Censura poena positam, Pirhing h. t. num. 47. Suarez, Layman, & alii communiter. Ratio est; quia Leges Ecclesiasticæ regulariter loquendo non obligant cum periculo vite, membrorum, vel alterius gravis damni, juxta communem Doctorum, arg. c. 4. de Reg. Jur. ibi: quod non licitum in lege, necessitas facit licitum. Accedit ratio, quia lex humana debet esse secundum naturam humanam, id est, humane fragilitati accommodata, id autem non esset, si

ordinariè obligaret cum periculo tam gravis damni. Dicitur autem notanter, regulariter; quia in casibus extraordinariis, quando videlicet observatio Legis humane moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si ejus violatio cederet in contemptum Fidei, vel Legis, aut potestatis Ecclesiasticæ, transgrediens ex gravi metu etiam vitæ Legem sub Censura positam non excusatur ab illa: uti bene cum aliis docent Layman lib. 1. tract. 5. cap. 5. nu. 9. Suarez de Censuris Disp. 6. sect. 3. & alii. Ratio est; quia cum in talibus casibus nullus metus excuset ab observatione Legis Ecclesiasticæ, prout cum aliis amplius diximus in Theologia nostra Morali tract. 2. dist. 2. q. 3. d. n. 23. ita etiam non excusatur à Censura.

Resp. IV. A Censura etiam contra se jam lata quis immunis, & illa invalida est, ita ut nullum producat effectum triplici ex capite, videlicet I. Ob defectum Jurisdictionis, si nempe feratur ab eo, qui vel absolute in Censurandam caret jurisdictione ferendi Censuram; vel jurisdictionem quidem sed impeditam habet per Excommunicationem, vel Suspensionem sibi in hærentem, siquidem excommunicatus, vel suspensus alium excommunicare non potest, can. Audivimus. cau. 14. q. 1. junctâ Glossâ ibid. Quid autem habeat potestatem & jurisdictionem ferendi Censuram, habes supra num. 6. & 7.

Idem dicendum foret, si Prælatum habeat Jurisdictionem suspensam per Appellationem legitime interpositam, ante sententiam Censuræ absolute latam; ut si is ferat, seu potius comminetur Censuram contra Sempronium, quod nisi intra tot v. g. dies satisfecerit, hoc vel illud omiserit, ut præstitit, noverit se esse excommunicatum; Sempronius vero ante elapsum terminum præfixarum dierum appellet: tunc enim casu Sempronius Censuram Excommunicationis non incurret, etiam si sub Censura injunctum minime adimpleret. Ratio est; quia, quod bene notandum, licet Appellatio post Censuram præferat Excommunicationis actu, & absolute jam latam, seu infictam, effectum illius minime impedit, vel suspendat, textu claro c. Is cui. 20. de Sententia Excommunicat. in 6. ibi: Sanè sicut Excommunicatus, sic ab officio, vel ingressu Ecclesiæ lata Suspendio per Appellationem sequentem minime suspenditur; tamen Censuræ effectus quivis per Appellationem suspenditur, si quis contra eam nondum absolute, sed conditionatè duntaxat latam seu comminatam in tempore legitime appellet, textu claro c. Præerea. 48. de Appellat. & jam dictum est Lib. II. de Appellat. n. 212.

H. Redditur Censura invalida ob neglectum substantialem ordinem; ut si Judex eam ferat, nulla nec unquam quidem præmissa admonitione; vel si omittatur citatio Rei, ilque ad sui defensionem non amittatur, juxta dicta supra à n. 21.

III. Censura contra aliquem lata est invalida ob defectum justitiae, aut sufficientis causæ juxta dicta supra num. 8. Porro sufficientia, vel justitia causæ tripliciter potest deficere; videlicet primo, si nec à parte rei adest, nec secundum allegata & probata præsumitur adeste; ut si quis excommunicetur, quod elemosynam tribuerit, vel quod fecerit id, quod facere illicitum & pravum non est. Cujusmodi Excommunicatio utique invalida est, cum non contineat errorem intolerabilem, uti Jura loquuntur c. Per tuas. de Sentent. excomm. & c. Venerabilis §. Possit eod. in 6.

Deinde potest justitia, vel sufficientia causæ deesse, siquidem causa à parte rei adest, orin- nen v. g. reverà commissum est, de eo tamen Reus nec confessus, nec legitime convictus habetur; etsi enim

92 Si integra communis excommunicatur, etiam hodie valet.

93 Et quidem certo, si Excommunicatio feratur à Papâ.

94 Probabiliter verò, si feratur ab inferiore Papâ.

95 Solvitur instantia.

Quandam actus contra Legem factus censetur irritus? & quando non? Ibid. & num. seq.

97 Quomodo differat inter se sententia Excommunicationis, & declaratio, seu sententia declaratoria?

98 Ad declarationem non prærequiritur irina monitio.

99 Nec citatio, si crimen est notorium.

100 Secus si notorium non est, aut de illo non plene constat, tunc enim requiritur citatio pro discussione causæ, ob quam quis sit declarandus excommunicatus.

101 Quibus competat potestas ferendi Excommunicationem? Remissive.

102 Cavissimè, & non nisi deficientibus aliis mediis adhibenda est Excommunicatio.

103 Excommunicatio est maxima poena in Ecclesia Dei.

Uzitur I. Quenam Excommunicatio censetur lata, & quanam ferenda sententia? ubi nota, quod Excommunicatio sit poena, quâ nulla major in Ecclesia datur, c. Corripiantur. 24. q. 3. quia separat à Corpore Christi, quod est Ecclesia. Quæ quidem poena quandoque imponitur ipso Jure, adeo ut positò delicto mox incurrat; & dicitur Excommunicatio lata sententia. Quandoque verò Legislator eam comminatur Delinquenti, ita, ut positò delicto primum per sententiam Judicis sit imponenda, & appellatur Excommunicatio ferenda sententia; prout jam dictum est supra num. 146.

Resp. I. Hæc verba Legi poenali inserta, ipso facto, ipso Jure, ex tunc sit excommunicatus &c. manifestè indicant Excommunicationem late sententia. Idem dicendum, quando Legislator sibi, vel Legi fidei adscribit sententiam dicendo v. g. auctoritate nostrâ, virtute præsentis Constitutionis sit excommunicatus &c. Similiter si lex utatur solo verbo indicativi modi præteriti aut præteriti temporis, v. g. excommunicamus, excommunicatio non se novit incursum, sicut se esse excommunicatum &c. ut post Suarez. l. 5. de Legibus cap. 6. notat Herinex disp. 5. de Legibus, n. 7. Sylvester, v. Excommunicatio l. n. 22. Layman lib. 1. tract. 5. p. 1. num. 3.

Resp. II. Si Lex solùm comminetur poenam Excommunicationis nullâ aliâ particulâ, v. g. prohibemus sub poena Excommunicationis, sub interminatione Anathematis, sub poena Excommunicationis contra scientibus insipientem &c. continet excommunicationem ferendam sententia. Idem dicendum, si Lex utatur verbo, vel participio futuri temporis, v. g. reus erit talis poena, subiacet Excommunicatio, & hujusmodi, dummodo nulla alia particulâ ex enumeratis num. præc. apponatur. Et hoc ipsum Herinex l. cit. n. 4. verisimiliter censet de illis verbis absolute prolatis, Excommunicationem se novit incursum. Nam, cum de tali Excommunicatione ferenda sententia possint prædicta verba absolute posita commode explicari, id erit faciendum: quia in poenis benignior est interpretatio faciendâ juxta Reg. 49. Jur. in 6. cum Concordantibus.

Resp. III. Insuper si Lex utatur verbis imperativi modi, que non efficiunt immediatè ipsam

personam, sed vel ratum poenæ, v. g. reatum talis poenæ incurrat, sicut reus excommunicationis: vel ipsam actionem Judicis, dicendo v. g. excommunicetur. Hujusmodi, inquam, locutiones solùm continent Excommunicationem ferendam sententia. Idem dicendum, quotiescunque dubium est, an verba Legis contineant Excommunicationem late vel ferendam sententia; quia in obscuris minimum est sequendum per Reg. 30. Jur. in 6.

Dixi notanter, que non efficiunt immediatè ipsam personam. Siquidem verba illa, excommunicationem incurrat, important Excommunicationem ipso Jure, ut bene post Tiraquellum notat Fagnanus in c. Sacro. de Sentent. excomm. nu. 57. Similiter hæc verba, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, importare Excommunicationem late sententia, fatis contra nonnullos oppositum tenentes propugnat Fagnanus in c. Super specula. Ne Clerici vel Monachi. &c. n. 1. & seqq.

Utrum autem illa verba, sit excommunicatus &c. nullo alio addito seu absolute prolata contineant poenam late sententia, nec ne, variant Doctores. Affirmant non pauci; & ratio esse potest, quia hujusmodi verba imperativi modi efficiunt immediatè ipsam personam. Oppositum nihilominus tenet Navarrus cap. 27. Manual. n. 12. videlicet allegata verba non continere sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia Jure id declarant. Probat id Navarrus multipliciter. Et quidem auctoritate Glossæ cap. 2. de Foro compe. v. Sequesteratus, secundum quam plurimi Canones illa verba continent sententiam ferendam significat.

Tam, quia verbum sit, est futuri temporis, juxta quod Glossa in c. Si quis ex Clericis. de Vita & honestate Clerici, ly, anathema sit, explicat per ly, anathema fiat, arg. dist. 30. quasi per totum, ubi clausula ista solùm denotat Excommunicationem ferendam sententia. Tam tandem, quia quævis ly sit, quandoque significet tempus præteritum, nihilominus itante dubio minor pars in poenis est eligenda: atqui prædicta verba sunt dubia, ut patet ex hæctenus allegatis, & ipsa Doctorum varietate; ergo.

Quæritur II. An quis sæpius possit excommunicari? Resp. Affirmativè, arg. c. Cum pro causa, de Sentent. excomm. & notat Glossa in c. Engeltraudam. 3. q. 4. Nec obstat, quod ejectionis Ecclesiæ non possit amplius eici, sicut & occisus non potest amplius occidi. Resp. enim cum citata Glossa, Excommunicationem habere duos effectus, unum ejectionis extra Ecclesiam, & alterum detinendi extra: & licet Excommunicatio posterior non possit coalescere primam effectum, in jam excommunicato, bene tamen secundum.

Porro ligatus pluribus Excommunicationibus potest absolvi ab una, & tamen non ab altera: & qui verè vult absolvi ab omnibus, omnem causam, pro qua vel quibus sit excommunicatus, debet exprimere, arg. cit. c. Cum pro sua. de Sentent. Excommunicat. juxta Glossam ibidem v. Tantquam excommunicatum.

Nec obstat, quod unum peccatum non dimittatur sine altero, arg. c. Majores. §. Sed adhuc de Baptismo, ibi: Dominus, qui totum hominem salvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit, & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit. Respondet enim Fagnanus in cit. c. Majores. n. 62. de Baptismo: disparitatem esse; quia absolutio à peccatis est actus divinus, qui non debet esse absolute perfectione: factus est de abolitione ab Excommunicatione, que est actus humanus Ecclesiæ, utpote per quam inducta est Excommunicatio.



38 Porro Universitatis nomine censetur Synodus, Concilium, Conventus, Collegium, Capitulum &c. Et licet Baldus quinque homines requirat ad Universitatem Castri, vel Ville, arg. l. fin. c. de Testamentis, melius tamen Fagnanus loc. cit. n. 34. post Glossam in l. Sicut ff. quod ejusque Universitatis nomine &c. censet, Universitatem posse constitui per tres, arg. l. Veratius ff. de Verbor. significat. ibi: Veratius Prius tres facere existimus Collegium, & hoc magis sequendum est. Quinimo duo faciunt Congregationem, arg. cap. 1. de Electione. Et licet unus non sit Universitas, neque per unum ab initio constitui possit Universitas: nihilominus, si unus solus remaneat, jus & nomen Universitatis conservatur in illo, textu claro l. Sicut. ff. Quod cujusque Universitatis nomine &c. Hoc prenotato,

89 Resp. I. Hodie non potest ferri sententia in Universitatem, vel Collegium; sed in singulos tantum de Universitate, vel Collegio, quos culpabiles esse confiteri, promulgari debet. Ita habetur expressè c. Romana de Sentent. excomm. in 6. idque providè statuit Pontifex, volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nunquam coningeret innoxios hujusmodi sententiâ irretiri. ut ibidem habetur.

90 Dixi notanter hodie. Nam olim potuisse Capitulum, & sic Universitatem excommunicari, notat post Abbatem, & Joan. Andream Fagnanus in c. Olim. de Litis contestat. nu. 2. & fultus in c. Responso de Sentent. excomm. n. 53. & seqq. idque probat ex casu & textu illius Capituli Olim. de litis contestat. & c. Significat. v. Sed à parte de Exceptione. &c. Accedit, quòd cit. c. Romana. de Sentent. excomm. in 6. Jus novum continet (non enim procedit per viam Declarationis, sed novæ Constitutionis, ibi: penitus prohibemus) & consequenter ante illam Constitutionem bene poterat Communitas excommunicari. Sed defecto secus dicendum.

91 Nec obstat, quòd tota Civitas, vel Universitas aliqua possit interdici, arg. c. Responso de Sentent. excomm. Imò quandoque Interdictio puniatur, qui non peccaverunt: nam pro peccatis Regis Regnum interdicitur, arg. c. Non est vobis. de Sponsalib. Civitas pro peccatis Episcopi, c. Sanè. de Offic. Delegat. vel Domini, aut Rectoris, c. Si sententia de Sentent. excomm. Resp. enim cum Fagnano in cit. c. Responso. de Sentent. excomm. n. 42. hoc esse verum ac speciale in Interdicto, non autem in pena Excommunicationis; interdicti enim non fraudantur Ecclesie suffragiis, sicuti excommunicati. Unde hodie Universitas non excommunicatur, sed personæ singulares, licet interdici soleat.

92 Resp. II. Nihilominus sententia Excommunicationis, si hodie feratur in Universitatem, probabiliter est valida, & ligat singulos de Communitate soli capaces, saltem quoad Ecclesiam. Ita Glossa in c. Romana. de Sentent. excomm. in 6. v. Penitus, appellans hanc sententiam tutiorem; & sequitur Fagnanus loc. cit. num. 102. & seqq. post Bernardum. Baurium, & alios, quamvis etiam multi teneant oppositum.

93 Et quidem si sermo sit de Excommunicatione à Summo Pontifice in Universitatem lata, cum ipse non subiaceat ulli prohibitioni Juris positivi, non est dubitandum, quin liget omnes de Universitate, etiam innoxios. Intellige quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesie se debent gerere quasi excommunicatos: secus quoad Deum, cujus iudicium nec fallit, nec fallitur, atque amplius declarat textus expressus in c. A nobis. 16. 2. de Sentent. excomm. Intellige intuper quoad personas

doli capaces: nam infantes & furiosi non ligantur Excommunicatione, etiam quoad Ecclesiam. Fagnanus ibid. n. 31.

Quòd autem defecto teneat sententia Excommunicationis (modò proximò declarato) si in Universitate feratur ab inferioribus Papà, probatur imprimis autoritate plurimò Doctorum n. 92. jam reatorum, hanc sententiam appellantium tutiorem. Accedit, quòd olim potuerit excommunicari Universitas juxta dicta num. 90. Atque in nova dispositione c. Romana. de Sentent. excomm. in 6. prohibetur quidem excommunicari Universitas vel Collegium, ibi: In Universitatem vel Collegium proferri sententiam Excommunicationis penitus prohibemus: non tamen irritatur, neque invalida declaratur sententia talis, si proferatur.

Neque urget l. Non dubium. C. de Legibus, 95 juncto c. Imperiali. 25. q. 2. ubi dicitur. Quæ contra Leges sunt, pro insectis habenda sunt, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, non specialiter dixerit, inutile esse debere, quòd factum est. Nam dictum istud plures patitur limitationes, ut notat Jalon ad cit. l. Non dubium. arg. c. Ad Apostolicam. de Regularib. ibi: Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roborem firmitatem.

Cæteris autem limitationibus dimissis, & magis 96 ad propositum, respondet Fagnanus l. cit. n. 103. dictum illud habere locum duntaxat, quando lex simul tribuit potestatem faciendi actum illum, & præscribit conditiones, ac modificationes prohibendo, ne aliter fiant; tunc enim recipitur potestas qualificata vel modificata solum, & idèò actus non servatis modis præscriptis à Lege redditur nullus ex defectu potestatis. Secus èt, quando Lex præscribit conditiones, vel facit prohibitionem ei, qui iprius potestatem vel jurisdictionem agendi jam habet (prout olim Episcopi habuerunt potestatem excommunicandi Universitatem) tunc enim susinetur actus in vim potestatis præ-existentis, licet transgressiendi sit puniendus, sicque sententia Excommunicationis in Universitatem lata foret quidem injusta, sed non ipso Jure nulla. arg. c. Sententia. 11. q. 3. ibi: Sententia Pastoris, sive injusta sive injusta fuerit, rimenda est.

Queritur IV. In quo differant sententia Excommunicationis, & declaratio seu sententia declaratoria Excommunicationis? Resp. cum Fagnano in c. Non potest de Sentent. & re judicat. n. 18. & seqq. differre primò, quia Excommunicationis Sententia infligitur per sententiam Judicis, non sic autem fit in declaratione Excommunicationis à Jure inflictæ: nam qui ipso Jure excommunicatus est, per declarationem amplius non ligatur, cum à principio ligatus fuerit, sed solum declarat excommunicatus, ut ab aliis evitetur. Ideo ex declaratione neque inferitur pena gravissima, qualis inferitur ex sententia Excommunicationis: neque tanta in ea requiritur solemnitas, arg. c. Pastoralis. de Appellat.

Secundò differant, quia Excommunicatio ferri non debet, nisi præmissa trina monitione, vel saltem una pro omnibus cum competentibus diebus intervallis, arg. c. Sano. de Sentent. excomm. ibi: Nisi competente admonitione præmissa, juncto c. De illicita 2. q. 3. & c. Constitutionem, de Excommunicatione, in 6. eò quòd Excommunicatio feratur propter contumaciam perseverantiam, & ut isthac medicinali pena quispiam castigatus citius à sua contumacia desiciat. Quamvis Jure novo S. Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 3. de Reformat. si delicti qualitas id expolcat, infligi Excommunicatio valeat præcedente binâ saltem monitione, etiam per Edictum. Econtra ad declarationem Excommuni-

Canonis, seu in percuss. &c. 395 præcedente binâ saltem monitione & jam per Edictum id postulet. Nefas aut sit seculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici. ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam Excommunicationem revocet, sub prætextu, quòd contenta in præsentibus Decretis non sint observata: cum non ad seculariter, sed Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus verò quicumque, si post legitimatas monitiones non respuerit, non solum ad Sacramenta, & Communionem Fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obturato animo, Censuris annexus, in illis annis injorduerit, etiam contra eum, tanquam de heresi suspectum, procedi possit.

99 Terriò differunt; quia ad Excommunicationem à Jure infligendam requiritur citatio Rei, saltem per edictum, si is aliter inveniri nequeat. Secus est in declaratione Excommunicationis dummodò factum ipsum sit notorium: neque enim citandus est, cui notorium est defensionem non competere, prout ex communi docet citatus Fagnanus num. 21.

100 Dicitur autem notanter; dummodò factum sit notorium; nam si hoc occultum est, vel de eo non dum manifestè constat, citatio Rei est necessaria ad discutendam causam ob quam fit declarandus excommunicatus, Glossa in Clement. Præsent. v. Constitit. de Cens. & Clement. 2. de Penit. quatenus vel Reus se defendere, vel factum verificari queat, ob quod feratur declaratoria, licet in ipsa declaratione non requiratur.

101 Queritur V. Quibus competat potestas ferendi Excommunicationem majorem? Item qualiter & quando hæc potestate uti possint & debeant? Resp. I. Ad primam partem hujus Quæstio patere ex §. 1. d. num. 7. ubi specificavimus omnes, quibus competit potestas ferendi Censuram, ut sic, consequenter etiam Excommunicationem.

102 Resp. II. Excommunicatio cautissimè ac sobriè, & non nisi aliis deficientibus mediis infligenda est. Pro hujus Conclusionis probatione, & declaratione merito per extensum assignatur dispositio circa hoc facta à Concilio Tridentino Sess. 25. de Reformat. cap. 3. illis verbis: Quomvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiastica disciplina, & ad continentem in officio populos valdè salutaris; sobriè tamen, magna que circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutatur, magis contemni, quam formidari; & perniciosius potius parere, quam saltem. Quapropter excommunicationis ille, qui monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut propter delictis seu subtrahitis rebus ferri solent, à nemine pro fus, præterquam ab Episcopo decernatur, & tunc non aliàs, quam ex re non vulgaris, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, que ejus animum moveat: nec ad eas concedendas cujusvis secularis, etiam Magistratus, auctoritate adducatur: sed totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eos decernendos esse judicaverit. In causis verò judicialibus mandatur omnibus Judicibus Ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandoque executio realis vel personalis in qualibet parte iudicii propriè auctoritate ab ipsis fieri poterit, ablineant se tam in procedendo, quam desinendo à censuris Ecclesiasticis, seu Interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur in causis civilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinens contra quoscunque etiam laicos, per multos pecuniarias, que locis suis, ubi existentibus, eo ipso quòd exacte fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque distractionum per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem Beneficiorum, aliisque Juris remedia procedere, & causas desinere. Quòd si executio realis, vel personalis adversus reos hæcratione fieri non poterit: sitque erga Judicem contumacia, tunc etiam eos Anathematis macrone, arbitrio suo, præter alias penas ferre poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis ut supra, fieri poterit, etiam à Censuris abstinendum: sed si dicte executioni facile locus esse non possit: licebit Judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti: si tamen delicti qualitas,

præcedente binâ saltem monitione & jam per Edictum id postulet. Nefas aut sit seculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici. ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam Excommunicationem revocet, sub prætextu, quòd contenta in præsentibus Decretis non sint observata: cum non ad seculariter, sed Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus verò quicumque, si post legitimatas monitiones non respuerit, non solum ad Sacramenta, & Communionem Fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obturato animo, Censuris annexus, in illis annis injorduerit, etiam contra eum, tanquam de heresi suspectum, procedi possit.

Ratio autem Conclusionis est tum illa, quæ in Concilio Tridentino lo. cit. prin. jam est allegata: Tum quia Excommunicatio est pena gravissima, quam habet Ecclesia, san. Corripiantur. 17. cau. 24. q. 3. ibi: Quia penâ in Ecclesia nulla major est; consequenter dum alia media sufficiant, adhiberi non debet.

§. IV.

De Excommunicatione Canonis, seu in percussores Clericorum, & de Excommunicationibus Bullæ Cæneæ.

S U M M A R I U M.

- 104 Ratio Rubricæ.
- 105 Quid intelligatur nomine Excommunicationis Canonis?
- 106 A quo sit lata?
- 107 Quinam veniant nomine Clerici, vel Monachi?
- 108 Violentam manum Clerico vel Monacho injicere quis dicatur?
- 109 Enumerantur varie actiones in specie, quæ violentam manuum injectionem continent, & propterea seum Excommunicationem trahunt: & num. seq.
- 111 Etiam ille Excommunicationem Canonis incurrit, qui similem violentam actionem, seu manuum injectionem mandat.
- 112 Vel suo nomine, aut intuitu ipsius factam rationem.
- 113 Item qui consilium, auxilium, vel favorem præbet ad hujusmodi violentam manuum injectionem.
- 114 Pariter & illi, qui cum possent, & ex officio deberent, non impediunt.
- 115 Qui omnes recensui non excusantur ex eo, quòd dicant, Clericum commercium fuisse percussorem.
- 116 Vel consensisse in eadem. Clericus non potest renuntiare privilegio Canonis, ibid.
- 117 Quandoque ex causa aliqua quacunque tandem violenta manuum injectio excusatur à peccato mortali, excusatur etiam ab Excommunicatione Canonis.
- 118 A quo etiam immunis est, qui ob necessariam sui, suorumque, vel aliorum defensionem manus violentas injicit.
- 119 Doctrina practica ad propositum, quòd sæpè ab Excommunicatione excusantur rustici, & alii violentas manus injicientes Clerico injusto aggressori.
- 120 Alia similis doctrina practica ad propositum.
- 121 Prælati, & Magistri suos etiam in Majoribus constitutos Clericos subditos aut discipulos.
- 122 Sicut etiam parentes, & propinqui filios aut propinquos.



- 123 Sed non nisi in Minoribus constitutos disciplinæ, & correctionis causâ moderatè percutere possunt.
- 124 Malitè quoque pro defensione sue pudicitie percussit Clericum ab Excommunicatione immunis est.
- 125 Sicut etiam percussit, vel occidit Clericum cum matre, filiâ, uxore, aut sorore turpiter viventem.
- 126 Quid, & unde dicatur Excommunicatio Balthæ Cœnæ?
- 127 Quæ, & quot sint hujusmodi Excommunicationes?
- 128 Bullæ Cœnæ per extensum ponitur.
- 129 Specialia de Bullæ Cœnæ, & ejus Excommunicationibus.
- 130 Inter specialia, quæ habent Excommunicationem Bullæ Cœnæ, est, quod contra eas nunquam quid valeat consuetudo, præscriptio, aut non receptio.
- 131 Doctrina præctica ostendens plures hodie esse excommunicatos per Bullam Cœnæ.
- 132 Non obstant, quod ut tales denuntientur.
- 133 Et Excommunicationes hæ non curentur.

104 Quamvis innumera quasi Excommunicationes tam in sacris Canonibus quam Constitutionibus & Decretis Pontificum, Episcoporum, aliorumque Superiorum Ecclesiasticorum inveniantur, præ aliis tamen celebriores, & frequentiores sunt Excommunicatio Canonis, & Excommunicationes Bullæ Cœnæ, de quibus proin in hoc §. agemus.

105 Queritur I. Quid sit? & à quo statuta sit Excommunicatio Canonis? Resp. I. Per Excommunicationem Canonis intelligitur illa, quam ipso facto incurrunt omnes percussores Clericorum, seu omnes illi, sive Clerici, sive Laici, qui violentas manus in Clericum, vel Monachum seu Religiosum injecerint. Communis & certa can. Si quis suadente diabolo. 29. cau. 17. q. 4.

106 Resp. II. Hæc Excommunicatio lata est ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi relato, cit. can. Si quis suadente diabolo. 29. cau. 17. q. 4. ibi: Si quis suadente diabolo hujus Sacrilégii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi moris periculo urgente) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.

107 Quid autem nomine Clerici, vel Monachi, intelligatur, vide Lib. III. Tit. I. de Vita & honestate Cleric. §. 1. per totum. Item Tit. XXXI. §. 1. vide etiam dicta in Theologia nostra Moral. Tract. 13. dist. 11. à num. 63. quibus adde, esse certa vitia, ratione quorum Clerici privilegio citati Canonis non gaudent, ita ut percussiones talem Clericum non incurrant hanc Excommunicationem, de quibus vitis in hoc V. Libro suis in locis jam fecimus mentionem.

108 Queritur II. Quænam dicatur violentæ manûs injectio in Clericum, vel Monachum, ad hoc, ut propter eam præfatam Excommunicationem ipso facto quis incurrat? Resp. Violentæ manûs injectio ad propositum intelligitur quævis actio externa injuriôsa, & graviter peccaminosa violentè injecta personæ Clerici, Monachi, vel rebus corporis illius adherentibus. Ita in re communis, prout videre est apud Navarram Manual. cap. 27. n. 77. Barbosa in cap. Si quis suadente. à nu. 29. Molinam de J. & J. dij. 51. num. 8. Suarez de Censuris. dij. 22. scil. 1. num. 27. Layman. lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 5. n. 6. & alios.

Inferitur pro praxi, violentæ manûs injuriôsam, & graviter peccaminosam injectionem committere, consequenter excommunicationem Canonis ipso facto incurrere imprimis illum, qui Clericum, vel Monachum manu, pede, ense, baculo, aliove instrumento, vel etiam veneno occidit, mutilat, vulnerat, percussit. Item, qui spumam, pulverem, sordes, lapidem, vel quid aliud in eum projicit. Insuper, qui freno equi, aut curru, cui Clericus insidet, violentas manus injicit, vel fugientem ita insequitur, ut causa sit, quod violentiam insequentis fugiens Clericus præceps in foveam, aut flumen trahat. Item, qui vestimenta personæ Clerici adherentia violentè detinet, vel dilacerat, vel ea, etiam pileum tantum, aut quid aliud v. g. librum, baculum &c. violentè eripit, ut cum aliis tenent Sylvester v. Excommunicatio 6. nu. 4. Layman. loc. cit. num. 6. Navarrus cap. 27. nu. 77. Barbosa loc. cit. Secus est, si quis detineat, dilaceret, conculcet vestimenta aut res Clerici corpori ejusdem non adherentes.

Pariter violentam manum injicere, & Excommunicationem incurrere censetur, qui Clericum, vel Monachum etiam absque ulla læsione corporali in carcere, vel custodia publicâ vel privatâ, vel in domo, aut alio in loco injuriôsè concludit, detinet, ne egredi, vel progredi possit. Doctores citati, textu expresso c. Nuper. 29. h. t.

Idem est de illo, qui aliquam ex recentibus nu. 112 109. & n. 110. injuriôsissimis actionibus, dummodo effectus sequatur, c. Mulieres. 6. h. t. ibi: Illi verò, qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato alii violentè injiciunt manus in Clerico, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi: cum is committat verè, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur.

Idem dic de illis, qui hujusmodi injuriôsam violentam actionem non quidem mandant, suo tamen nomine, vel gratiâ, & intuitu ipsorum factam signo aliquo externo (non autem affectu merè interno) ratihabent; secus foret, si quis hujusmodi actionem non suo, sed alterius nomine factam ratihabere, textu expresso c. Cum quis. 23. h. t. in 6. ibi: Cum quis absque tuo mandato manus injicit in Clericum tuo nomine violentas: si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris; cum ratihabito retrahatur, & mandato debet comparari. Si verò injectio eadem tuo nomine non fuit facta, tunc licet peccet ratihabendo eandem, non tamen propter eam excommunicationis ullius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum. Concordat Clementina, Si quis suadente. 1. de Penit. ut proin in hoc etiam aliâs odiosa materia procedat, Reg. 10. Jur. in 6. Ratihabitionem retrahit, & mandato comparari non est dubium.

Uterius eandem Excommunicationem incurrunt, 113 qui consilium, auxilium, aut favorem præbent ad hujusmodi injuriôsam actionem. Ita citati Doctores, arg. c. Quantæ. 47. h. t. & Clement. 1. de Penit. ubi inter alios hujus violentæ injectionis, & excommunicationis Reos etiam numerat is, qui injuriôsè, vel temere percussit, aut banniverit, vel hæc mandaverit fieri, vel facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit faciens, aut consilium in his dederit, aut favorem &c.

Tandem ejusdem violentæ injectionis, & Excommunicationis Rei sunt, qui dum sine gravi suo incommodo possent, & ex officio talem injectionem violentam impedire tenerentur, non impediunt, consequenter eidem favent, & tacitè consentiunt, veluti si ab ea proposita vel attentata pater filium, Dominus servum, & Magistratus vel alius Superior non

non impedit subditum, c. Quantæ. 47. h. t. ibi: Ne autem solos violentiæ hujusmodi auctores præsumptio aliquorum existimet puniendos, facientes, & consentientes pari penâ plebentibus Catholica condemnata auctoritas. Eos delinquentibus favere interpretamur, qui cum possint, manifestè facinoracè sinunt obviare; & ibi Doctores cum Navarro Manual. cap. 27. n. 78. Molina Diss. 52. à nu. 27. Layman. loc. cit. nu. 7.

115 Neque ab Excommunicatione hætenus recensiti excusantur, si etiam cum veritate dicant, Clericum hujusmodi violentam manûs injectionem commertum esse, vel ad eam dedisse causam; quia taliter delinquens Clericus à Superiore, & Judice suo Ecclesiastico, & non ab alio est puniendus, vel castigandus. Barbosa in cit. can. Si quis suadente. 29. cau. 7. q. 4. n. 47. cum aliis. Secus, & ab Excommunicatione immunis foret, si quis pro necessaria sui defensione, servato moderamine inculpate tutelæ violentas manus aliquo ex præfatis modis incurreret, prout magis dicitur infra num. 18.

116 Rursum ab Excommunicatione immunis non est, si Clericus in sui percussione, & manuum injectionem consentiat, & percussori v. g. corpus ultra subiciat: etiam ad satisfactionem injuriæ per Clericum prius illatæ alteri; quia etsi in tali casu percussio hujusmodi non sit violenta respectu Clerici percussit, est tamen violenta & injuriôsa, atque redundans in opprobrium status Clericalis, in cuius totius, & non in privati Clerici alicujus favore concessam est privilegium Canonis, cui favori, & privilegio renuntiare non potest pacto privatorum, c. Si diligenti, 12. de Foro competent. & c. Contingit 36. h. t. Quod si percussio ex consensu Clerici facta, injuriôsa non esset, ut sic tamen causâ occultæ mortificationis, & satisfactionis pro suis peccatis ex motivo virtutis admitteretur, Excommunicationem percussoris secum non traheret.

117 Dicitur autem notanter in Conclusione nu. 108. posita injuriôsa, & graviter peccaminosa; quia cum Excommunicatio Major sit pœna omnium gravissima, can. Corripiantur cau. 24. q. 3. non nisi propter actionem graviter peccaminosam incurritur per dicta §. 1. Hinc juxta Communem Doctorem, si quis vel ob actionis levitatem, vel defectum intentionis injuriandi (ut fit in casu vexationis) vel ob ignorantiam personæ Clericalis, vel ob defectum sufficientis advertentiæ, & deliberationis ex nimia animi perturbatione, vel vehementiâ passionis proveniente, vel ob aliam causam à mortali peccato excusatur, etiam ab Excommunicatione immunis est. Ubi tamen notandum circa hanc materiam, esse subinde actionem graviter peccaminosam respectu Clerici, v. g. violentam vestimentis illius apprehensionem, vel pilei detractiorem, quæ respectu alterius tantum levis materia, leviterque peccaminosa esset.

118 Pariter ab Excommunicatione liber est, qui a sui, vel alterius defensionem in corpore, vel bonis fortunæ, servato moderamine inculpate tutelæ, Clerico violentas manus injicit, v. g. violentè eum detinet, vel etiam percussit, dummodo in continentem id faciat, & modum non excedat, arg. c. Ex tenore, 10. h. t. ibi: Nisi se defendendo fecerit, & adhuc clarior, c. Si verò. 3. eod. ibi: Si verò Clericum vim sibi inferentem quis repellat, vel ledat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam mitti, si in continentem vim vi repellat: rationem subiungit ibidem Papa illis verbis: cum vim vi repellere, omnes Leges, omniaque jura permittant, cum talis dectentio, vel percussio non tam sit injuriôsa, ac percussio.

caninosa actio, quam sui, vel aliorum contra injustam vim justâ & licita defensio.

Inferitur, rusticus, vel alios plebeios, vel etiam alios sæpè ab Excommunicatione excusari, toties nempe, quoties contra rixosum, injuriam, vel aliis injustum aggressorem Clericum violentè se defendunt, ita ut violentè in corpore aggressorem Clericum violentè repellant, vel vestes illius violentè detineant, vel etiam, ubi opus est, in continentem percussant; cum talis non tam sit injuriôsa manûs injectio, quam justâ defensio, per clara Jura citata, quod bene observata habent Judices Ecclesiastici.

Ex eadem defensionis causâ ab Excommunicatione immunis est, qui domi suæ turbationes, insolentias, vel rixas causantem Clericum vi à domo repellit, vel excludit: item qui Clericum cum bonis vi aut clam injustè ablatis fugientem insequitur, ablata violentè etiam percussione, si aliter non potest, extorquet: sicut etiam ille, qui Clericum debitorem de fuga suspectum, violentè in custodia, vel alias detinet, ad hoc, ut eum Judicio Ecclesiastico presentare, & debitam satisfactionem consequi valeat, prout cum aliis bene advertunt Palao Tract. 29. disp. 3. pun. 23. §. 3. n. 15. Layman ubi supra nu. 8. Molina disp. 55. à num. 3.

Uterius Excommunicationi non subjacent Prælati seu Superiores, aut Magistri, qui Clericum subditum, vel discipulum etiam in Sacris, v. g. Subdiaconatus Ordine constitutum, correctionis, vel disciplinæ causâ percussit; quod idem dic de aliis ex mandato Superioris, vel Magistri Clericum ejusmodi percussentibus, textu expresso c. ex tenore. 10. h. t. ibi: Nisi de mandato suorum fecerit Prælatorum, vel nisi super eum (Subdiaconum vide licet) prælationis ministerium aut Magistrum habeat, concordat c. Cum voluntate. 54. h. t. ibi: Si quis verò ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, vel etiam alii Clerici seniores zelo &c.

Ab eadem Excommunicatione immunes sunt parentes, & propinqui, qui disciplinæ, vel correctionis causâ filium, vel propinquum in Minoribus constitutum moderatè, seu leviter percussit, textu expresso, cit. c. Cum voluntate. 54. §. fin. h. t. ibi: Si quis verò ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, vel etiam alii Clerici seniores zelo devotionis pueros, vel adolescentes in Minoribus Ordinibus constitutos turbantes divinum Officium; & qui obtentu prælationis, vel magistratus subditos, vel Scholares correctionis causâ leviter forsan percussent, excommunicationis sententiam non incurrunt: quod & de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum Ordinum simili modo, ut cohibeantur à suis insolentis, & scientiâ, bonisque moribus informemur, duxerint corripiendos.

Dicitur autem notanter in Minoribus constitutum, quia in Majoribus constitutum filium, aut propinquum, parentes, aut propinqui etiam correctionis causâ percutere non possunt sine Excommunicatione, ut bene advertunt Interpretes in cit. c. Cum voluntate, præsertim Barbosa num. 6. & cum aliis docet Palao lo. cit. n. 8. Ratio est; quia cum ex una parte nullibi in Jure concessum sit parentibus, aut propinquis percutere Clericum filium, aut propinquum in Sacris constitutum, sicuti concessum est Magistris, & Superioribus respectu subditorum, & discipulorum; ex altera verò parte in cit. c. Cum voluntate, filios, & propinquos duntaxat in Minoribus constitutos concedatur percutere, valet argumentum à sensu contrario, & subintrat can. Si quis suadente diabolo universatim sub Excommunicatione prohibens percussorem Clerici.



124 Insuper ab Excommunicatione immunis est mulier, quae Clericum etiam Sacerdotem suae pudicitiae insidiantem, quem verbis, aut signa vel omnino non, vel quia iterum redeat, abigere non valet, verberibus, fuste, vel alia violenta manus injectione repellit. Doctores supra num. 120. citati per Jura *ibid.* allegata; quia & haec percussio est iustissima defensio.

125 Tandem ex speciali Juris constitutione ab Excommunicatione immunis est, qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum (turpes actus, oscula, amplexus, aliove exercentem) manus injecerit, prout expressè statuitur c. Si verò. 3. h. t. ubi tamen subjungitur: Ceterum, si in supra, vel adulterio, quod committitur cum ea, quae ipsam ita proximam consanguinitatis liud non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, non erit à sententia illius Excommunicationis immunis.

126 Potè etiam quis turpiter agentem cum uxore, matre, sorore, filia Clericum percussit graviter peccet, si modum excedat, v. g. graviter mutilet, aut occidat, tamen Excommunicationem non incurrit. Navarrus *Manual. cap. 27. num. 84.* Layman *loc. cit. n. 9.* Molina *disp. 55. num. 5. arg. cit. e. Si verò. 3. h. t.* per quod etiam excessivè percussus in tali casu Clericum ab Excommunicatione immunis esse censetur, non tantum in abominationem turpissimi criminis, sed etiam & praecipue ob difficultatem in tali casu tam justum temperandi dolorem, & cohibendi impetum vindictae.

127 Quaeritur III. Unde dicitur? quid? & quotuplices sint Excommunicationes Bullae Coenae? ac quid speciale habeant? Resp. I. Excommunicationes Bullae Coenae sunt illae, quae continentur in illa Bulla, quam à pluribus Pontificibus jam pridem editam, & renovatam quilibet Pontifex ad initium sui Regiminis rursus innovat, & singulis annis certâ, eaque magnâ solemnitate in die Coenae Domini publicat, & denuo renovat, ac confirmat; ob quod Bulla Coenae dicitur, in eaque contentae Excommunicationes Bullae Coenae nominantur.

128 Resp. II. Excommunicationes Bullae Coenae sunt plures, utpote ob plura & varia delicta, in plures ac diversos delinquentes latae; quos delinquentes hic in compendio subjungimus. Itaque Excommunicationibus Bullae Coenae ipso facto sequentes subjacent delinquentes. I. Haeretici omnes externi, seu qui haesin externam committunt, eorumque receptores, factores, & defensores; item legentes librum ab Haeretico scriptum; & de Religione tractantem, taleque librum imprimentes, retinentes, defendentes, ac Schismatici. II. Appellantes à sententiis vel mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium. III. Piratae seu latronculi maritimi, eorumque fautores &c. IV. Auferentes bona naufragantium Christianorum ubi vis terrarum. V. Imponentes nova pedagia, seu gabellis praeterquam in casibus à Jure sibi concessis. VI. Falsificantes litteras Apostolicas. VII. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Christiani nominis hostes, vel haeticos expressè, & nominatim à Sede Apostolica declaratos. VIII. Impedientes eos, qui victualia Romam vehunt. IX. Qui vexant, aut iniuriis afficiunt eos, qui Romam vadunt, aut redeunt. X. Vexantes Peregrinos Romam. XI. Offendentes Cardinales, & alios Ecclesiae Praelatos. XII. Offendentes aliquem, qui pro sua causa Curiam Romanam accedit. XIII. Appellantes à gravamine, & futura executione litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem. XIV. Officiales, & alii, qui

causas Ecclesiasticas advocant à Judicibus Ecclesiasticis; aut hos eos prosequi volentes, impediunt. XV. Judices seculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia trahunt. XVI. Qui impediunt Praelatos, & Judices Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione juxta praescriptum Legum Christianarum utantur: Item qui contra sententias, & Decreta Judicis Ecclesiastici, vel ad ea, judiciumque Ecclesiasticum eludenda recurrunt ad potestatem Laicalem: Sicut & haec ipsa, ejusque Officiales, qui his recurrentibus deferunt. XVII. Utriusque jurisdictionem, fructus, ac redditus Sedis Apostolicae, vel aliarum Ecclesiarum, eolve sequeltraantes. XVIII. Imponentes onera personis Ecclesiasticis. XIX. Judices seculares, qui in causis criminalibus Clericorum sese intromittunt. XX. Qui directè, vel indirectè per se, vel per alios invadunt, destrunt, occupant, vel detinent bona & terras ad Romanam Ecclesiam pertinentes. Prout magis patebit ex ipsa Bulla Coenae Domini, quam à Clemente X. editam ex Tomo V. Bullarii Cherubini, utpote ibidem novissimam, desumptam per exten'um subiungimus pro commoditate Lectoris Bullarium forsitan ad manum non semper habentis.

BULLA COENAE DOMINI.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianae Republicae pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicae Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda maxime elucet. Nimirum, ut Fideles Christi non sint parvuli fluctantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: sed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitae societate, & communionem laedant, aut inter se alter alteri offensivam praebent, sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra sub Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in edificationem, atque ita divina gratia adjunctrice sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices Praedecessores nostri, hodierna die, quae anniversariae Dominicae Coenae commemoratione sollemnis est, spiritualem Ecclesiasticam Disciplinae gladium, & salutaris justitiae arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam Deo Auctore, tueri, vestisum, & solennem hunc morem sequentes.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quocumque Hufitas, Wiclephistas, Lutheranos, Zwinglianos, Calvinistas, Ugonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Haeticos, quocumque nomine censentur, & quocumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quolibet illorum defensores, ac eorundem libros

libros haereticos continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicae scienter legentes, ac retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, nec non Schismaticos, & eos, qui se à nostra & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos quoscumque statim, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, & Capitula quocumque nominè nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, cursarios, & Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, praecipue à monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque Navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in litore inventa, quoscumque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in caeteris quoscumque maris regionibus, & litoribus, furripuerint; ita ut nec ob quocumque privilegium, consuetudinem aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quocumque praetextum excusari possint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicae licentia permixtis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signaturam, nec non falsò publicantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Haeticos pro nostris, sive sanctae Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, silum ferri, stannam, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi quibus Christianos, & Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianae Republicae concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianae Religionis inimicos, nec non Haeticos, in damnum Catholicae Religionis, seu in

gionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis quibusvis personis, Principibus, Rebus publicis, per Nos, & Sedem praedictam haecenus concessis; de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impediendo seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se, vel alios quoscumque fuerint ordinis, praeminentiae, conditionis, & status, etiam si Pontificales, seu Regales, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana praesalgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, vel spoliant, capiunt, detinent, nec non illis omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel Nostris Judicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depradantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causâ devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, percussantes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedesque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diocesis, Territoriis, Terris, seu Dominis ejicientes: Nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quoscumque, vel saeculares ad Romanam Curiam super eorum causis & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, Advocatos, Procuratores, agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquo modo percussant, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem praestare non verentur, quoscumque praeminentiae, & dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam saeculares quoscumque dignitatis, qui praetextibus frivolorum quandam appellationem à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium: Nec non citationum, inhibitionum, sequelstrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum Decretorum à Nobis, & à Sede praedicta, seu Legatis, Nunciis, Praesidentibus, Palatii nostri, & Camerae Apostolicae Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis



emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procureatore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii super hujusmodi litterarum & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, executores, & sub-executores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percipiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè, vel occultè, quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedunt aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu beneficales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, aliorumve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt: Quive partes adrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum id ad favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætextuum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancelliarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice-Cancellarii, Consilarii, Ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque Principum secularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel à instantiam partis, aut aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quorumcunque coram se ad suam Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis

quæsto colore: Nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quavis alia decreta in genere, vel in specie, & ex quavis causa, & quovis quæsto colore, ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè vel expressè præjudicatur.

§. 16. Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quosque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quominus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod Canones, & sacre Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuant, ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrent, & ab illis prohibitiones & mandata etiam pœnalis Ordinariorum, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant: eos quoque, qui hoc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium & favorem in eisdem.

§. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ sequestrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressâ licentiâ imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comes, Barones, & alii potentatus quicumque, etiam Regni, Provinciarum, Civitatum & terris quoquo modo Præsidentes, Consilarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris & pœnis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, sub-executores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illos proferendo, vel exequen-

exequendo, sine speciali, specifica, & expressâ hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illâ perperam abutuntur: etiam si talia committentes fuerint Consilarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint in totam, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, & Corsicae, Terras circa Pharam, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletinum, Comitatum Venayssinum, Sabinem, Marchiam Anconitanam, Massic Trebaricam, Romanodioclesiam, Campaniam, & Maritimas Provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Aragonum, Civitatisque nostras Bononiam, Casenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castellæ, Tudertum, Ferrarium, Conactum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel Jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, diocæque Romanæ Ecclesie mediata, vel immediate subiecta: nec non Imperiam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesie competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, nec non adherentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes. Volentes presentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quoscunque alii hujusmodi processus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiat, aut possibilibus, dare, suosque effectus omnino sorti.

§. 21. Ceterum à prædictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesie mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indulgentiarum quibuscunque personis Ecclesiasticis secularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Dominicis, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ mundana excellentiâ fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

§. 22. Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolute beneficii impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innovamus, gravibus contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, procellis.

§. 23. Declarantes, ac protestantes quicumque abolutionem, etiam solenniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub processibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi desisterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præsertim, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, Constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex archiviis, seu capitularibus locis,

aut libris, in quibus annotata reperiantur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere; nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi abolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantumcunque tempore continentur in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque iuribus Sedi Apostolicæ, ac S. R. E. undecunque, & quodocunque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari possit, aut debere.

§. 24. Non obstantibus privilegiis indulgentiis, in iudiciis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus prædictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cuiuscunque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam si, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regni, Provinciarum, Civitatum, seu locis à prædicta Sede ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, & nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac prescriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet observantibus scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

§. 25. Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, presentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, ceteraque contraria quæcunque.

§. 26. Ut verò presentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Ecclesie S. Joan. Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut si, quos processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. Insuper, ut processus ipsi, & presentes litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta eò fieri notiora, quo in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælati ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendum mandamus, aut per se, vel per alium, vel alios presentes litteras, postquam eas receperint, seu earum haberint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenit, solenniter publicent, & ad Christi Fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

§. 28. Ceterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum